

## 1. Favus Distillans

Favus distillans Ursula virgo fuit,  
Que Agnum Dei amplecti desideravit,  
Mel et lac sub lingua eius.

Quia pomiferum hortum et flores florum  
In turba virginum ad se collegit.

Unde in nobilissima aurora gaude, filia Sion.

Quia pomiferum hortum et flores florum  
In turba virginum ad se collegit.

Gloria Matri et Filiae et Spiritui sancto.

Quia pomiferum hortum et flores florum  
In turba virginum ad se collegit.

## **2. Rubor Sanguinis**

O rubor sanguinis,  
Qui de excelso illo fluxisti  
Quod divinitas tetigit -  
Tu flos es  
Quem hyems de flatu serpentis  
Numquam lesit.

### 3. Viridissima Virga

O viridissima virga, ave,  
Que in ventoso flabro sciscitationis  
Sanctorum prodisti.

Cum venit tempus  
Quod tu floruisti in ramis tuis,  
Ave, ave fuit tibi,  
Quia calor solis  
In te sudavit sicut  
Odor balsami.

Nam in te floruit  
Omnibus aromatibus  
Que arida erant.

Et illa apparuerunt omnia  
In viriditate plena.

Unde celi dederunt rorem super gramen  
Et omnis terra leta facta est,  
Quoniam viscera ipsius frumentum protulerunt  
Et quoniam volucres celi nidos  
In ipsa habuerunt.

Deinde facta est esca hominibus  
Et gaudium magnum epulantium.  
Unde, o suavis Virgo,  
In te non deficit ullum gaudium.

Hec omnia Eva contempsit.

Nunc autem laus sit Altissimo.

#### **4. Frondens Virga**

O frondens virga,  
In tua nobilitate stans  
Sicut aurora procedit;  
Nunc gaude et letare  
Et nos debiles dignare  
A mala consuetudine liberare  
Atque manum tuam porrige  
Ad erigendum nos.

## 5. Spiritui Sancto Honor Sit

Spiritui sancto honor sit,  
Qui in mente Ursule virginis  
Virginalem turbam velut columbas collegit.  
Unde ipsa patriam suam sicut  
Abraham reliquit.

Et etiam propter amplexionem Agni  
Desponsationem viri sibi.

Nam iste castissimus  
Et aureus exercitus  
In virgineo crine mare transivit.  
O quis umquam talia audivit?

Et etiam propter amplexionem Agni  
Desponsationem viri sibi.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

Et etiam propter amplexionem Agni  
Desponsationem viri sibi.

## **6. Ave Maria O Auctrix Vitae**

Ave Maria, O auctrix vite,  
reedificando salutem,  
Que mortem conturbasti  
Et serpentem contrivisti,  
Ad quem se Eva erexit erecta cervice  
Cum sufflatu superbie.  
Hunc conculcasti  
Dum de celo Filium Dei genuisti,  
Quem inspiravit Spiritus Dei.

O dulcissima atque amantissima mater, salve,  
Que natum tuum de celo missum mundo edidisti,  
Quem inspiravit Spiritus Dei.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

